quia et arbores dexterè scandit altissimas;
tympana scitè pulsat, sed imprimis Choragum
adeò egregium se ostendit, ut tibiarum delinitus
modulatione, inque posteriores erectus pedes, admi-
randa lenitate choreas ducat, pedibus verò
anterioribus vice manuum gestus chironomiæ motusque
edat, iamque gravi modestia ingrediatur, iam præ-
euntis pedes passibus æquis insequatur, iam hilari
passu, iam tum graviori incedendo, collegæ saltus occu-
piat; iam cum eodem pariter in gyrum volvatur; tum
nova facilitate choream redintegret, et vibrato
sursum corpore, pedibusque micantibus ad numeros
saltatorios motus edat, adeò eleganter, ut equis
Sybariticis sua docilitate invidiam, admirationem
suâ arte movere, ac stupentibus abreptisque tantâ
illius indole spectaculum exhibere possit; denique
tam scitè variatos tibiæ modos, aut edidos tympa-
ni, et buccinarum numeros æquali saltu excipit
redditque, vel insequitur gravi incessu, aut læto
tripudio exprimit, ut si alter choragus ursinâ
etiam pelle larvatus incederet ignorantibus dolum, dif-
ficile esset iudicare, an duæ bestiæ humanam naturam
induissent, an verò, ut festivo se oculis præberent
spectaculo, duo homines sub bestiarum exuvijs